

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Eidem.

Venerande domine Præposite, & amice charissime: Spero ingenium magistri Ioannis Birnstil utiliter seruiturum esse Ecclesie Dei. Ideo cum duci Megalburgensi commendavi: ac Deum oro, ut ministerium eius gubernet. De tempore autem professionis magistri Ioannis, quid scribat Dux, intelligetis ex ipsius Ducis literis: quas unâ cum meis, ut exhiberi ei curetis, uos etiam atq; etiam oro. Nam ad uos ideo misi, quod nesciebam ubi ipse magister Ioannes Birnstil in urbe uestra querendus esset. Nec quæquam in ciuitate uestra chariorem habeo, quàm uos: & uicissim me à uobis diligi existimo.

Quæso igitur, ut hoc negotiũ, quod quidem ad Ecclesiam pertinet, curetis, & mihi rescribatis. Si iam iter ingressus est magister Ioanes, uxori literæ Ducis tamen legendæ erunt, ac deinde ad ipsum mittendæ. Quæso etiam ut mihi significetis, an Sabinius exhibuerit illustrissimo principi Friderico & uobis meos libellos. Pro uestro munere uobis ago gratias. Principi Friderico et uestris filijs mitto pagellas de Ecclipsi. Bene ualete, die 3 Nouembris.

Eidem.

Reuerende uir, & charissime frater: Scio te hominem officiosum libenter amicis gratificari. Ideo ad te mitto literas Sabino inscriptas, & libellũ: & te